



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput X. An permaneat fides in homine impio, in homine hæretico, in
homine vitâ functo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

quas occidere Brahmanis flagitium est inexpressibile, ut Vincentius Maria Carmelita excalceatus scribit lib. III. pag. 314. illud inquam, aperte immanitatem, nobilium studium, ac superstitionem præfere. Denique conspersos in fronte cineres confectos è vacæ stercore, impressaque signa delineata in Opere Lucinii pag. 412. nescio quo jure possint à nota superstitionis excusari. Atque hæc est mea de Sinenfium Ritibus persuasio. In quibus tamen, si nullum adesset superstitionis indicium, ut contendunt Aloysius Le Comte, Jacobus Faber, Scriptores librorum, qui inscribuntur, *Vera Sinenfium sententia, Monumenta Sinica, Expositio facti oblata sacre Congregationi jussu Innocentii XII. anno 1699.* aliorumque editorum anno 1700. atque si inconcussa essent testimonia Prosperi Intorcetta, Mar-

tini Martinii, & Dominici Mariæ Sarpetri, asserentium superstitionem omnem à Christianis vitari, possent Millionarii omnes facile convenire, eademque doctrinæ conspiratione commissum munus explere. Id gravi Concione nuper, id est, die XXI. Decembris præteriti anni 1739. in Quirinali aula coram Purpuratorum Patrum Senatu prolocutus est vir doctrina, ætate, exemplo plurimum venerandus F. Bonaventura Barberini Concionator Apostolicus, & Generalis Capuccinorum. Fieri id potest, si penitus rejiciantur vota, sacrificia, suffragia, ac libamenta,

Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,

Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam,

ut S. Paulinus scribit in quarta ad Ausonium Epistola.

CAPUT X.

An permaneat fides in homine impio, in homine hæretico, in homine vitâ functo.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur.
2. & 3. Responsio ad Objectiones.
4. & 5. Propositio 2. Probatur.

6. 7. 8. 9. & 10. Solvuntur Objectiones.
11. 12. Propositio 3. Probatur.

INQUIRENDUM nunc de Fidei *sub-jecto*: nam Heterodoxi qui sanctificantem gratiam à fide non distinguunt, docent consequenter justum esse quisquis fidem servat; nec gratiam amitti nisi peccato apostasiæ & infidelitatis: eisque accedunt, qui autumant fidem divallam à charitate non operari Christianas virtutes, neque fidem, quæ est bonum germen ac semen, esse absque amore & fiducia; ut habetur in propositione LI. & LII. Quenelliana. At in iis, qui in hæresim prolabantur, & pravo dogmati hærent pertinaciter, fidem deficere communiter docent contra Durandum Scholasticum: quamquam multi distinguant inter Catholicam, integram, inviolatamque fidem, & fidei partem, teneantque illam quidem in hæretico deperire, sed remanere fidem aliquam, sive priorem supernaturalem illuminationem falsitati permixtam, ut docet S. Bonaventura, & probare videtur in III. dist. 23. §. 13. magni nominis Theologus Guilelmus Estius; etsi in utramque partem disputet, nec rem definiat. At istud inter Scholasticos dissidium facili ratione componitur, si quod appellant objectum materiale,

& quod *formale* dicunt, dispecamus. Enimvero hæretici plura nobiscum tenent, ut Trinitatem, Incarnationem, Baptismum, quæ etiam Divina revelatione, non perceptione naturali ad illorum notitiam pervenerunt; sed his minime assentiuntur ob Divinam auctoritatem ab Ecclesia propositam, ideoque non fide Divina, sed humana duntaxat, acquisita, & historica. De illis autem, qui concesserunt naturæ, exceptis animis purgantium adhuc à caelesti patria extoribus, quaritur, num in iis ad ornatum, aut ad religionis symbolum *habitus* fidei persistat. Atque hæc congrua brevitate resoluturus de priori parte sic statuo.

PROPOSITIO I. Remanet fides in homine impio, dummodo infidelitatis crimine non se commaculet.

Liquet primo ex Apostolo, qui in I. ad Corinth. XIII. 2. aperte fidem à charitate sejungit, quod & præstat Augustinus de Fide & operibus cap. 14. Produximus loca Volumine III. pag. 315. Accedit definitio Tridentini sess. 6. can. 28. *Si quis dixerit amissam per peccatum gratiam, simul & fidem semper amitti; aut fidem quæ remanet non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui*

qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianum, anathema ſit. Huc ſpectat propositio 12. damnata ab Alex. VIII. Quando in magnis peccatoribus deſicit omnis amor, deſicit etiam fides, & etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana: & 52. Quenelliana, Fides non eſt abſque amore & fiducia. Suffragatur & ratio; nam fides & charitas diverſum habent obſectum, atque illa tendit in Deum ut verax eſt, hæc in Deum ut ſumme bonum; poſſumus autem odiſſe etiam ea, quæ exiſtere non ambigimus, dummodo non ſic appareant, ut animum ad ſe trahant neceſſaria & vehementiſſima dilectione, uti contingit in patria. At fides, etiamſi ſit verum ſperandarum ſubſtantia, ſcilicet, ſummm bonum tam firma perſuaſione credat, ut de ejus exiſtentia non hæſitet, non eo tamen præſente ac perſpicue viſo adeo allicitur, ut nequeat ab illo caſta dilectione divelli. Adde nullum virtutis habitum in hac mortali vita deperdi, niſi per oppoſitam qualitatem; unde Synodus Tridentina cit. ſeſſ. 6. cap. 15. recte ſancivit ſola inſidelitate ipſam fidem amitti.

2. Objectiones. Moverunt adverſarios nonnulla, quæ ex hæcenus diſputatis habent faciliſſimam ſolutionem. Ajunt fidem, Scriptura Divina conclamante, ſine operibus mortuam eſſe, & à charitate ſejunctam eſſe nihil, nihil prodeſſe: addunt juxta Auguſtinum ſolam fidem, quæ per dilectionem operatur, mundare cor, piamque fidem ſine ſpe & charitate non eſſe; ita nimirum S. Pater in Pſalm. 31. num. 6. ſerm. 53. in Matth. cap. 9. num. 11. & Epift. 120. num. 8. Poſtremo, inquirunt, nulla, ſi deſit charitas, datur virtus, quæ faciat Chriſtianas actiones; nulla ſine ordine amoris in Auguſtiniana Theologia vera virtus cenſenda eſt.

3. Reſponſiones. Sed hæc nimium ſutilia ſunt, & recocta. Fides enim ſine charitate informis eſt, mortua eſt, & etiam ab actuali amore penitus ſeparata ad juſtificationem non ſufficit; ſed nunquid omnino extinguitur, & ſine gratia ſanctificante exercere nequit actus ſuos? Mortua ſine hujus gratiæ ornatu appellatur, quia non eſt illa fides, qua juſtus vivit, qua promeremur vitam æternam, qua ſeparatur ab immundis; at etiam in peccatore pios ſine gratia habituali motus operatur, qui non imputantur, niſi inchoate, ad juſtificationem ac vitam: ad quam impii diſponuntur, dum credunt vera eſſe, quæ divinitus revelata ſunt, atque illud in primis à Deo juſtificari impium per gratiam ejus; ut loquitur

Tridentinum. Recte proinde Auguſtinus affirmat piam fidem eſſe cum dilectione cor non emundari per fidem; quoniam Fides per dilectionem operatur, inquit Apoſtolus ad Gal. v. 6. & Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt 1. ad Corinth. xiii. 3. Igitur concludit fidiffimus Apoſtoli interpres Auguſtinus Tract. 6. in Joannem n. 21. Magna eſt fides, ſed nihil prodeſt, ſi non habeat charitatem, & alibi, Fides ſine charitate poteſt eſſe, non tamen prodeſſe. Verum, inquis, quomodo id, ſi nulla abſque charitate datur virtus? Principio ad virtutem non requirit Schola Auguſtiniana charitatem habitualement; ſed ordinem dilectionis, qua virtus non ſit inflata dum ad ſe ipſam refertur, nec vitio labefactetur dum marceſcit cupiditate; de quibus plura lib. xviii. cap. 3. Deinde proſicitur habitus virtutum etiam ſupernaturalium à charitate diſtinctos; tamenſi charitas actibus cæterarum virtutum tribuat formam, ac perfectionem: ut explicavi ſupra pag. 208. Denique contendit humanam voluntatem in quolibet exercitio virtutis duci vario ipſius amoris affectu, ſive boni cupiditate, quæ nec deest in fide informi, auctore Divo Thoma 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2. ſed non requirit ad cujuſlibet virtutis actum explicitum illum amorem, qui tendit in Deum ut ſummm bonum, conſtituitque virtutem peculiarem, cæterisque præſtantioſiorem, quæ ſpeciali quadam ratione dicitur Charitas.

4. Propositio II. Non permanet vera fides in homine hæretico.

Solet à quibusdam hæc theſis comprobari verbis Apoſtoli in 2. ad Tim. 11. 17. Sermo eorum, ut cancer ſerpit: ex quibus eſt Hymeneus, & Philetus, qui à veritate exciderunt: at non ſatis percipio hujus argumenti robur, docente ibidem Paulo Hymenæum ac Philetum aberraffe à fide reſurrectionis, ut conſtat ex textu, ex Tertulliano de Reſurrect. Carnis, & ex Auguſtino ſerm. 362. n. 22. an vero hi fidem omnem amiſerint, hæc tantum verba minime evincunt. Videntur magis efficacia quæ idem Paulus ſcribit ad Galatas v. adverſus afferentes legalium ad ſalutem neceſſitatem, dicens v. 4. Evacuati eſtis à Chriſto, ſcilicet à ſpiritu fidei, ut explicat verſu proximo: cujuſ rei & rationem ſubinde affert, quoniam non auctoritatem Dei revelantis conſectabantur, ſed humanam, errorique obnoxiam opinionem: Perſuaſio, inquit, hæc non eſt ex eo, qui vocat vos. Quod ſane faciunt hæretici omnes, dum privato ſpiritu, aut homi-

4. Propositio 2

Probatur ex Scriptura.

num doctrinis seducti ea duntaxat credunt, quæ proprio ingenio & voluntati magis consentanea sunt. Quare S. Pater Augustinus ita Manichæos alloquebatur lib. contra Faustum xvii. cap. 3. *Qui in Evangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius, quam Evangelio creditis.* Addit laudatus Apostolus in 1. ad Corinthios i. i. i. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est: quæ verba S. P. Augustinus in Enchirid. cap. 5. num. 1. explicans de fide Catholica inquit: Neque hoc ideo negandum est proprium fundamentum esse fidei catholicæ, quia putari potest aliquibus hæreticis hoc nobiscum esse commune. Si enim diligenter quæ ad Christum pertinent cogitentur, nominatenus invenitur Christus apud quoslibet hæreticos, qui se Christianos vocari volunt: re ipsa vero non est apud eos.* Ex quibus omnibus hoc pacto ratiocinamur. Qui credunt humana persuasione, nec fidei catholicæ fundamentum tenent, hi supernaturalem fidem nequaquam servant. At huiusmodi sunt hæretici.

7.
Probatum
ratione.

Ratio ex his depromitur manifesta. Fides enim non humanæ persuasione innotuit, non privato spiritui, non acceptæ hominum insinuationi; sed cum sit Divina, eliciatque assensum immobilem, atque firmissimum, nititur Divinæ auctoritati per Ecclesiam propositæ. Cum ergo nullus hæreticorum unum aut alterum fidei articulum in dubium revocans, aut præfractæ negans ad hanc inconcussam, certissimamque normam propriam fidem exigit: quomodo credit fide supernaturali ac Divina? Audiatur D. Thomas, cui major Scholasticorum pars assentitur, 2. 2. q. 5. art. 3. *Dicendum, inquit, quod in hæretico discredente unum articulum fidei non manet fides, quia species cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti, qua sublata species habitus remanere non potest. Formale autem objectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in Scripturis sacris, & doctrina Ecclesiæ, quæ procedit ex Veritate prima. Unde quicumque non inhaeret, sicut infallibili, & Divinæ regulæ, doctrinæ Ecclesiæ, ille non habet habitum fidei.*

6.
Obiectio 1.
cum Solu-
tione.

At dicas: Discipuli, quibus Marci ult. versu 14. exprobravit Dominus incredulitatem, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt; & Thomas, cui Joan. xx. inquit, *Noli esse incredulus, sed fidelis,* nunquid fidem prorsus amiserant? Respondet Lyræus, utique discipulos, de

quibus Marci ultimo, tunc fuisse incredulos, quoniam Resurrectio Domini pluribus argumentis fuerat declarata; nisi velimus dicere increpatam à Domino incredulitatem, quæ antea in illis fuerat, dum mulieribus, cæterisque discipulis credere noluerunt. Arbitror tamen per incredulitatem, qua aliquis non vult præstare fidem privato homini mysterium nondum sibi exploratum narranti, si habeat paratum animum credendi aut Ecclesiæ proponenti, aut Domino revelanti, fidem nequaquam amitti; & hanc fuisse incredulitatem Thomæ, aliorumque discipulorum, longe diversam ab hæreticorum pervicacia. Legitur quidem in vulgaribus libellis candelas, quæ in majori hebdomada extinguuntur significare extinctionem in Christi morte fidem Apostolorum: verum id à Theologis explodi observat Gavantus sect. iv. cap. 13. n. 22. & Rupertus Abbas lib. v. de Divinis Officiis cap. 26. docet significare tenebras factas Christo mortuo super universam terram, Judæorum cæcitatem, & mortem Prophetarum, qui, ut candelæ post singulos extinguuntur psalmos, occisi sunt expleto prophetiæ suæ ministerio: candelam vero cæteris sublimiorem significare ipsum Dominum, tanquam unum ex prophetis occisum, & postea redivivum à mortuis: quod postremum probat etiam noster Angelus Rocca de Campanis cap. 25.

Præterea obijcies: Augustinus de unico baptismo cap. v. num. 7. Judæo Obiectio 2
ad Ecclesiam venienti ait, *Tene fidem resurrectionis mortuorum sicut tenebas, sed crede jam Christum resurrexisse à mortuis quod non credebas:* ac similiter hæretico, *Tene Christianum baptismum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sicut tenebas, sed agnosce Christi Ecclesiam, toto, sicut prophetatum est, orbe crescentem, cui sacrilega voce maledicebas:* agnoscit ergo Augustinus in Judæo veram fidem resurrectionis, & in Donatista veram fidem baptismatis. Idem S. Pater de Patientia cap. 26. num. 23. laudat patientiam Schismatici, qui ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, &c. & proximo num. demonstrat, non esse viribus tribuendum voluntatis humanæ, sed esse donum Dei, licet donum exheredatorum, quoniam per elationem vel timorem, non per dilectionem operatur. Ac similia docet lib. i. de Baptismo cap. xix. num. 27. Agnoscit ergo Augustinus in hæreticis & schismaticis fidem inter Dei munera computandam.

Resp.

8.
Solutio.

Reſp. Sive in Judæis, ſive in hæreticis eſſe aliquam fidem *materialem*, inſpecto ſcilicet aliquo objecto, quod credunt, V. G. reſurrectionis articulo, & neceſſitate baptiſmatis; at non fidem *formaliter* talem, quæ nimirum aſſenſum præbet ob Divinam auctoritatem propoſitam ab Eccleſia: nam S. P. in libro de unico baptiſmo demonſtrat non ſolum in hæretico vel Judæo, verum etiam in idololatra aliquid eſſe, quod probat fides catholica; & quemadmodum dicitur Judæo, *Tene fidem reſurrectionis*, aut hæretico, *Tene Chriſtianum baptiſmum*, ita dicitur idololorum cultori, *Tene ab uno vero Deo mundum conditum eſſe, quod tenebas, ſed noli credere Deos eſſe ligna, & lapides, & ipſius mundi quaslibet particulas, quas colebas: Dei enim veritatem, qua credis ab ipſo mundum conditum, in tua detines iniquitate, qua Deorum cultor vis eſſe falſorum.* Ergo quemadmodum hæc idololatræ fides, qua credit mundum à Deo conditum, orta ex naturali philoſophia, ſupernaturalis non eſt; ita neque fides Judæi, vel hæretici acquiſita monitis parentum, atque hominum inſtitutis. Sed, inquis, hanc Auguſtinus computat inter Dei muneris in libro de patientia, & in 3. contra Donatiſtas. Si naturam *objecti* inſpicias; fides etiam hæretici hominis, ſupernaturalis eſt, niſi enim Deus revelaret myſteria, nunquam ad ejus noticiam perveniſſent; at ſi ſpectetur *motivum credendi*, naturalis eſt, neque enim captivat voluntatem in Dei revelantis obſequium, ſed vel eſt coacta, & rerum evidētia, ut in Dæmonibus, naturaliter gignitur; vel imbecillis & fallax eſt, & humanæ innititur perſuaſioni. Agnoſco itaque librum de patientia tanquam genuinum Auguſtini opus, licet aliter viſum Eraſmo: & nego laudabilem eſſe aut patientiam ſchiſmatici, aut fidem hæretici, niſi ut laudatur Fabricius & Catilina: quod monuerunt in Præfat. ad hunc librum PP. Benediſtini, & nos diximus Tom. III. pag. 245. quamquam eſt in fide hæretici aliquid Divini muneris ſenſu explicato. Atque ex his corruunt, quæ opponit Eſtius, fieri poſſe ut innotescant credenda ſine Eccleſiæ propoſitione, aut revelatione ſpeciali, ut Abrahamo; aut virtute miraculorum, ut Apoſtoliſ, aut ſine ullo hominum miniſterio, ut parvulis inſunditur in baptiſmo fides *habitualis*: etenim quicquid hoc pacto vocaretur ad fidem, ſi recte crederet, haberet ſaltem animi præparationem credendi quicquid Divina auctoritate fir-

matur: quod non faciunt hæretici ab Eccleſia alieni, & tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa.

Quod ſi opponas: Nonne in hæreticis remanet eadem credendi facilitas, eademque immobilis perſuaſio? *Obſectio 3. & Solutio.* Reſpondeo in primis nec eandem fidei firmitatem manere, quoniam medio fallaci & labili, non fundamento Eccleſiæ fides hæreticorum innititur: atque hinc eſt tanta hæreſum variatio, tanta Apoſtatarum inconstantia, tanta novorum dogmatum ſeges. Deinde cum doctiſſimo Cardinali de Laurea diſput. II. de Fide art. 14. præter fidem ſupernaturalem *inſuſam*, admitto habitum fidei *acquiſitam*, aut majorum inſtitutione, aut conſuetudine, aut Catechiſtarum doctrina: qua fide permanente, etiam habitu fidei ſupernaturalis per infidelitatem deleta, hæretici adeo nonnulla credunt, & tam firma adhæſione, ut pro illis fundere ſanguinem parati ſint, & martyrium affectent, quemadmodum de Donatiſtis ſcribit Auguſtinus in Breviculo, & in III. contra Creſconium, necnon de Montaniſtis Eusebius lib. V. H. Eccl. cap. 6. quod tamen Balduinus in Hiſtor. Carthag. Collat. pag. 364. recte appellat *ſituum* *hereticoſum*.

Si denique objicias non deſtrui ſcientiam, per hoc quod in una conſuſione aberretur, non violari omnia præcepta per hoc quod unum frangatur, non derogari fidem homini, per hoc quod in una re ipſi non præbeatur aſſenſus; optimam arbitror reſponſionem S. Thomæ cit. artic. 3. quod conſuſionibus unius ſcientiæ aſſentimur propter diverſa media, fides autem propter unum medium, ſcilicet Divinam veritatem ab Eccleſia propoſitam, ſingulis inhæret articulis: & præcepta etiam ob diverſa motiva ſervantur; nam ſi quis unum transgrediatur ob motivum princeps, quod nolit Deo perfecte obedire, ut Jacobus inquit cap. II. 10. *factus eſt omnium reus*. Atque huic divi Thomæ reſponſioni addo, poſſe nos ſimiliter ratiocinari de fide *acquiſita*, & naturali, quæ diverſis motivis inniti poteſt; at non de ſupernaturali, quæ ob unam tantum rationem aſſenſum præſtat revelatis à Deo veritatibus. Cum Deo ipſo fallere & falli nescio comparari nequeunt,

*Cimmerias inter tenebras quod error opacat,
Vanaque pro vero ſe oſtentat opinio menti.*

PROPOSITIO III. In animabus corpore ſolutis, ſuoque in termino conſiſten-

11.
Propoſitio 3.

stantibus habitus supernaturalis fidei non permanet.

Probatur de
Beatis,

Vel enim de beatorum spiritibus loquimur, vel de in gehennam detrusis. Si de illis verba faciamus, saltem quoad præcipuum *objectum* fides non manet; quoniam non vident *per speculum*, & *in enigmate*, sed *facie ad faciem*. Videtur id ab Apostolo definitum in priori ad Corinth. 111. 12. ubi etiam cæteris virtutibus præfert charitatem, eoquod nunquam excidat. Apostolo consentit Augustinus scribens lib. xiv. de Trinit. 11. num. 4. *Neque enim jam fides erit, qua credantur quæ non videntur; sed species qua videantur quæ credebantur*. Neque necessum est fidem beatis spiritibus tribuere ad ornatum, cum omnem ipsi decorem conferat splendor

gloriæ; & virtutum munera ob supernaturalia præsertim opera sint collata.

Si autem sermo sit de damnatis; hi omnium supernaturalium donorum ornamento expoliantur, permanente duntaxat *charactere* quo fideles ab infidelibus secernuntur. Ait quidem Jacobus cap. 11. 19. *Et demones credunt, & contremiscunt*: sed ut ostendat non professe ad salutem fides, qua malorum vindicem pertimescimus, nisi serventur mandata; non ut comparationem influat inter fidem demonum, hominumque fidelium. Illi namque credunt perspicaci mentis acumine, rerum eventu, expletis vaticiniis, proprioque experimento coacti; isti Spiritus sancti illustratione, pio mentis affectu, ac libera voluntate.

CAPUT XI.

De Spe fidelium, ejusque necessitate, & certitudine.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine spei intelligatur.
2. Objectum materiale & formale spei.
3. Quomodo spes à fide & charitate distinguitur.
4. S. Paulus, & Augustinus quomodo de spe intelligendi.
5. Quomodo spes permaneat in peccatoribus, Beatis, animabus purgantibus, damnis, & hæreticis.
6. Probatur spes persistere in eo, cui divinitus revelata damnatio.

7. Probatur spes non posse in eo persistere, cui revelata damnatio.
8. Revelatio de damnatione foret tantum comminatio, & sic non deberet spes deponi.
9. Revelatio autem de absoluta potentia foret definita, & immutabilis sententia.
10. Extra Hypothesin teneat quisque sperare gratiam, & gloriam.
11. Unde sperantium fiducia & certitudo desumenda.
12. Certitudo spei timorem includit.

1.
Quid Nomi-
ne spei in-
telligatur.

EX fide, inquit S. P. Aug. cap. clv. Ench. n. 30. *nascitur spes bona fidelium*; cum enim fides rerum sperandarum præstantiam statuatur ob oculos, illarum gignit desiderium atque expectationem, sine qua humana studia, laboresque flaccescerent. Nam ut temporalium actionum alitrix est præterfluentium bonorum fiducia, canente Tibullo,

*Spes alit agricolas, spes sulcis credit
aratri*

*Semina, quæ magno sænore reddat
ager;*

*Hæc laqueo volucres, hæc captat
arundine pisces,*

Cum tenues bamos abdidit ante cibos.

*Spes etiam valida solatur compede
vinculum,*

*Crura sonant ferro, sed canit inter
opus:*

ita fideles bonis operibus vehementius insudant, dum fiduciam, & gloriam spei, juxta Apostoli monitum ad Heb. 111. 6. *firmam* retinent. De Spe itaque hoc

loco pertractandum est. Spei autem nomine non intelligimus rerum adversarum expectationem, ut Virgilius in iv. Aen. ab Augustino laudatus cap. 8. Ench. dum ait,

*Hunc ego si potui tantum sperare do-
lorem,*

& ipsemet Augustinus in Psalmum 64. scribens, *Profers spinas? ignem spera*; sed expectationem duntaxat bonorum: atque utimur hoc vocabulo spei non tantum ad significandum spei nostræ objectum, ut dum dicimus cum Psal. xiii. 6. *Dominus spes ejus est*, vel gratiam & auctoritatem eorum, quibus intercedentibus sempiterna bona speramus, ut dum quotidie salutamus his verbis Deiparam, *Spes nostra, salve*; verum etiam ad significandam inditam divinitus virtutem, qua pium desiderii & fiduciæ motum exerimus. Atque virtutem hanc definire solent Theologi: *Spes est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis, & æternæ vitæ bona expectamus*: aut cum Haymone,